



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

352. Quid importet verba cit. cap. diligenter inquirant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



tra Cast. c. 4. n. 62. nixum quodam oraculo vivæ vocis Pii V. de quo, ut ait Pass. non satis constat.

*Quaestio 349. Num necesse sit ante inchoationem scrutini Scrutatores astringi juramento, vel præcepto obedientiæ à Præsidente Electionis de munere fideliter exequendo?*

**R**espondeo: non esse id de substantia electionis. Abb. in c. in causis. h. t. n. 2. cum communi. Neque de præcepto juris communis. Pass. c. 18. n. 2. contra Biax. p. 3. c. 24. Sigism. dub. 21. n. 2.

*Quaestio 350. Quisnam debeat esse locus, in quo Scrutatores vota eligentium excipiunt?*

**1.** Respondeo primò: debet esse publicus, hoc est, in conspectu omnium Electorum, ita ut hi omnes à longè videri possint, ne fraus aliqua committatur in scrutinio. Pass. c. 18. n. 3.

**2.** Respondeo secundo: debet esse separatus à loco Electorum, ut hi nè que Electores cum Scrutatoribus, neque Scrutatores inter se loquentes, dum scrutinium est auriculare, audire, neque ubi scrutinium fit per schedas, has apertas, aut etiam vota eligentium à scrutatoribus in scriptum redacta videre & legere possint. Pass. ibid. Biax. p. 3. c. 25. n. 2.

*Quaestio 351. Quid in c. quia propter intelligatur per rō singulatum vota exquirant?*

**R**espondeo: quòd Electores accedere non debent ad scrutinium turmatim, aut terni vel bini, sed seorsim & separatim singuli. Abb. in c. c. n. 15. Sylv. v. electio. n. 7. Lavor. c. 19. num. 76. Estque hoc de substantia scrutini auricularis: cum alias electio & scrutinium non esset secretum. Donat. p. 3. tr. 1. q. 17. n. 13. Secus ubi scrutinium fit per schedas complicatas Pass. n. 4.

*Quaestio 352. Quid importent verba illa dicti cap. diligenter inquirant?*

**1.** Respondeo primò: in scrutinio per schedas necesse non est, ut quicquam loquantur scrutatores, sed solum attendant, ne Electores deponant in urnam plures schedas, vel aliquam extrahant, vel dent notatam speciali aliquo caractere, aut simile quid faciant in præjudicium electionis. Pass. c. 18. n. 55.

**2.** Respondeo secundò: in scrutinio auriculari quoque non requiritur, ut scrutatores proprio ore teneantur inquirere vota eligentium, sed sufficit Electores accedentes ipsos sponte sua votum exprimere. Neque etiam faciendâ est vis in verbo illo exquirant, tum quia substantia talis inquisitionis subsistit in manifestatione voti recepta à scrutatoribus; tum quia scrutatores sufficienter loquuntur, & interrogant ipso facto, quo sedent deputati ad officium audiendi & conscribendi vota eligentium. Pass. n. 56. contra Barb. ad c. quia propter. n. 20. Sigism. dub. 21. n. 4.

**3.** Respondeo tertio: neque est de substantia, aut etiam de præcepto, ut scrutatores inquirant de zelo & meritis nominatorum, aut quo affectu, quâ conscientia eligens talem nominet. Pass. num. 57. contra AA. cit. & alios. Quamvis aliunde quandòque ex præcepto charitatis vel justitiæ teneantur docere, vel corrigere eligentes, si fortè in votando errarent, vel facere vellent aliquid in præjudicium electionis.

**4.** Respondeo quartò: multò minùs requiri, ut Scrutatores adjurent eligentes, ut nominent, quem coram Deo judicant meliorem. Pass. n. 58. vel etiam, ut Electores de hoc jurent in manibus Scutatorum. Pass. n. 59. & seq. quem vide.

*Quaestio 353. Num Electoribus licitum sit consensum suum internum seu votum explicare per sortes?*

**R**espondeo primò: licet per se & ex natura rei illicitum non sit, præsertim in casu necessitatis, ubi humana prudentia deficit, v. g. ubi sunt duo vel tres, qui capitulo omnibus examinatis videntur maximè & omnino à qualiter digni Prælaturâ, sine alicujus injuria implorare Dei indicium per sortes, earumque eventum ab eo (secus si hic expectetur merè à fortuna vel aliunde) expectare. D. August. de doct. Christiana. c. 28. & Ep. 12. ad Honoratum. D. Th. 2. 2. q. 95. a. 8. & ex eo Cajet. ibid. Suar. 20. n. de relig. tr. 3. l. 2. c. 12. n. 8. Sanch. in sum. l. 2. c. 38. n. 7. idque de facto apud regulares aliquos in electionibus quibusdam ex speciali indulto praticetur, ut videre est apud Pass. cit. c. 18. n. 6. Jure tamen positivo, ut constat ex cap. fin. de sortileg. de facto illicita est quacunque electio Ecclesiastica, five ad Prælaturas, five ad beneficia, officia, ministeria Ecclesiastica, quæ fit per sortes, ita etiam, ut illicitum sit hac ratione eligere ipsos compromissarios. D. Th. loc. cit. Suar. l. c. cit. n. 5. Sanch. n. 71. Abb. Felin. in c. capitulum de rescript. Tusc. l. E. concl. 79. Sigism. dub. 26. n. 1. Pass. n. 7. citans quamplures alios: qui etiam n. 9. citans pro se Felin. in c. capitulum. n. 21. Host. Jo. And. Franc. & alios in c. unic. de eo, qui mittitur in possessione, tenet, extra negotium Electionis quòque illicitam esse, & non valere diremptionem litis beneficiariæ, aut quæ est circa res alias spirituales inter clericos, etiam factam de auctoritate Superioris (in quo casu id licere tenent Suar. loc. cit. n. 12. & Sanch. n. 79.) etsi hac accedente, de cæterò removeatur simonia, quæ aliàs committitur ineundo quodcumque pactum circa beneficia; vel etiam dum is conferre potest beneficium, impediretur, ne alter litigantium ingrederetur aliàs beneficium sine titulo, ut aliàs contingere posset, dum fors eum tangeret, qui non haberet à parte rei verum titulum. His tamen non obstantibus licitum est per sortes facere electiones Ecclesiasticas, servatis aliàs servandis, non solum, ubi id expressè concessum est à Pontifice (uti id vi constitutionis Leonis X. quæ incipit: in suprema: praticari in regnis Legionis, Castellæ, Navarræ, ut nimirum, ubi votorum latorum ab Examinatoribus, & ut rectè addit Castrop. p. 3. tr. 13. d. 5. p. 3. n. 10. approbante idem Pass. n. 10. etiam qualitatim omnimoda est paritas, sorte decernatur, cuius sit beneficium, testatur Garc. l. 5. c. 4. n. 208.) verum etiam, ubi id consuetudine inductum est, quâ dictum jus positivum abrogari potest, non solum in electionibus ad officia Ecclesiastica non habentia jurisdictionem, ut vult Sigism. d. 26. n. 5. Sed & universaliter. Pass. cit. n. 10.

*Quaestio 354. An de cæterò electiones factæ per sortes sint quoque ipso jure nullæ?*

**R**espondeo affirmativè de iis electionibus, in quibus servanda est forma c. quia propter: item de iis, quæ fiunt servatâ formâ Scrutini juxta decretum Trident. debent namque in iis singuli Electorum votum suum dare secretò pro una perso-